









1729.

1. Bauerus, Ioh. Gottlieb: Novus allochthonus dante
2. Boer, Capas: De obstetricium erroribus.
3. Von dem Busche, Th. Claves. Augustus: Tomum ex facto animalis praeter culpam non obligari.
4. Christianus, Ioh. Fr. d.: Diversitudo prudentiae Ciurris vera methodo. item de doctrina Nicolai Machiavelli praeclaratio.
5. Bauerus, Ioh. Georgius: Usu advocates in rebus publicis sive foliorum??
6. Bauerus, Ioh. Georgius: De concubinibus ad v. catorum.
7. Cattius - Ioh. Friederici: De obligatione et iure - Trium novorum.
8. Tiez, Iam Gracilis lectio 3. p. 8.: Progranna,;  
(de prorealibus partim metallicorum), quo  
prædictiones sues aeris ratis indicat.

1724.

9. Eckardus, Hieronimus Gottward: De condicione  
ex 1. 3. 2 ff. ac reb. ord.

10. Hennelius, Michael Ernst, Far. med. procurarius  
Programma, quo panegyris medicorum inducit.

11. Franckenscij, Lazarus Augustus: De rigore paenitentia-  
nitatis peragustationis temporando.

12. Gaertner, Cornelius Gustavus: De iure Romani  
distinctione inter utrum et paraperna fore  
convenienter non accommodanda.

13. Gaertner, Cornelius Gustavus: De eo, quod justum  
et circa exhibitiorem reveram justi impressum  
Institutionis Superioris

14. Gibauerus, Georgius Christianus: De iuris dictio-  
ne script. 1729 - 1733.

1729.

15. Hommel, Ferdinand August: Descriptura quaque necessitate in testamento nuncupativa.
16. Toochinus, Georgius: De referente iuramentum in terminis juratoris non comparante
17. Toochinus, Georgius: De differentia imperiatores  
juri et facti cizor restitutioem in integrum.
18. Kaestner, Abraham: De feminarum in feulis successione.
19. Kaestner, Abraham: De clausula codicillari defectum omittae heredis institutionis non sufficiente simulque preselectiones mas hypernas indicat.
20. Longolius, Paulus Daniel: De originibus et usw.  
Novissimis pp. p. 1729.
21. Lotterus, I. Georgius: Historia vnde aliquel  
mentorum Consalii Peutingeri Augustani.





26

1729, 10.

FACULTATIS MEDICAE  
IN  
**ACADEMIA LIPSIENSI**  
H. T.  
PRO-CANCELLARIUS  
D. Michael Ernst Ettmüller,  
PROF. PUBL.  
PANEGLYRIN MEDICAM  
INDICIT.

ACADEMIA IPSIENSIS  
PRO-CAGENIVELLS  
B. Scipioi Guli Guilielmi  
PROFESSORI  
PUNICARUM MEDICARUM  
LUDVITII



B. B.



On eadem omnibus de venenorum assumitorum cognitione Medicis est sententia, facilem hanc aliis, aliis difficilem pronuntiantibus. DIOSCORIDES certe Praef. ad L. VI. et ALSARIUS a CRUCE de Quæsit. per Epist. Cent. III. c. 17. tallem haberi posse prorsus negant, GALENUS vero, Lib. VI. de Loc. affect.

cap. 5. qui illorum Medicorum scripta, quibus nunc caremus, sedulo evolverat, concludit tandem, non adeo operosum esse, venena discernere: cui adstipulatur CARDANUS de Venen. different. Lib. II. cap. 2. Interim si penitus rem examinamus, fatendum omnino erit, arduam esse rem, maximeque periculosam, hac de re certi quid determinare. Potest equidem Medicus historiae naturalis, et imprimis materiae medicæ gnarus in comperto habere, quæ ex corporibus naturalibus venena sint, vel pro talibus venditentur; potest etiam nosse, quæ simplicia, per se innoxia, arte chymica ralem texturam acquirant, ut assumta mortem accerant; potest effectus et symptomata, quæ singula patrant, ex DIOSCORIDE, MATTHIOLO, SENNETO, aliisque didicisse; potest tandem post fata hominis in cadavere annotasse, num ventricle,

culus, intestina aliave viscera inflammati, erosa, gangraena-  
ta, an vero sanguis dissolutus aut coagulatus fuerit. Quodsi  
autem determinare velit, num hic vel ille homo ex veneno,  
an ex aliis causis in symptomata lethalia inciderit, non una se  
offert difficultas. Facile quidem largimur FORTUNATO  
**FIDELI**, de Relat. Med. Lib. IV. cap. 3. vix unquam propinari  
venenum, perhibenti, quod hominem repente tollat, ac nullum  
sui indicum praemonstret; attamen absente corpore delicti,  
deficientibus aliis circumstantiis, quae in suspicionem nos  
propinati veneni perducant, nullum in corpore phaenomenon  
erit, ex quo certi quid concludere valeamus. Non enim  
testes advocant homines maleferiati, proximum internecio-  
ni tradituri, sed omni industria venena occultant, variis mo-  
dis miscent, involvunt, cum cibo, potu, medicamentis  
propinant, imo ab extra literis, arena scriptoria, chirote-  
cis, interulis, unguentis, balsamis, pulvere de Cypro, ster-  
nutorii pulveribus, telis, sagittis comunicant. Et haec  
exterius admota saepe ideo potentiora sunt, quo citius inti-  
ma mox sanguinis subeunt penetralia, cum, quae ore as-  
sumuntur, cibis, cruditatibus, quae forsan in primis viis  
haerent, involvuntur, seu a succo pancreatico, lympha ga-  
strica et intestinali alterantur, sive in energia sua mox ex-  
renda, aliquatenus impediuntur. Videmus enim minima  
quantitate per vulnus communicata corpori horrenda sympto-  
mata et mortem ipsam inducere, per os vero eodem ponde-  
re hausta, nihil vel parum damni inferre. Iniectio spiritus  
salsi ammoniaci, olei tartari per deliquium vel spiritus vitri-  
oli in venam animalis tantopere nociva et funesta est, qui ta-  
men liquores innoxie assumuntur, et remedii loco cum fru-  
etu assumuntur. Populi Americani radicis Yuccae succo te-  
la atque sagittas inficiunt, hostes eo citius interempturi, ex  
reliqua tamen substantia siccata panem conficiunt, quo vitam  
sustentant. Nec impossibilem esse transitum immediatum  
corporum quorundam naturalium, adeoque etiam veneno-  
rum,

forū, externe applicatorū per cuticulāe et cutis crassioris,  
illaesae etiam, poros, exinde docenur, quod unguentum  
mercuriale illūtum promte mercurium ad massam sanguineam  
devehat, et unguentum sulphuratum scabiem tollat. Deinde  
venena absolute talia non dantur, sed illorū essentia est ro-  
ta relativa, et sub certa conditione, quantitate videlicet,  
tempore, vehiculo, et modo applicandi talia sunt. Multa  
enim in maiori dosi et minus praeparata demum toxicā eva-  
dunt, alias generofissima remēdia, ut opium, mercurius  
vitae, vitrum antimonii, erodus metalorum, innoxia in  
cacochymicis corporibus virulentiam assumunt, eodem fere  
modo, quo antimonium crudum et mercurius vivus cum sa-  
le communi, vitriolo et tartaro mixta in violentissima mutan-  
tur venena. Sic venena volatilia cum vehiculo calido assimi-  
pta, nocent, cum frigido, oleoso vel pingui minus, magis  
etiam in regione fervidiore, quam in frigida. Et ex eadem  
causa effectus etiam variant pro diversitate temperamento-  
rum, habitus, vitalisque roboris; multum etiam interest,  
num ieiuno an pleno vēntricō deglutiāntur. Nota-  
bile huius rei exemplum prostat in VALENTINI Pan-  
dect. Med. Legal. P. I. Sect. III. cas. 25. ubi puerus  
de pūticula arsenico et cobalto intoxicate parum  
delibavit, et mortuus est, sorores vero totum cacabūm  
citra vitā facturām exhausterunt, quod ille tenoris et morbo-  
fæ constitutionis pūticula vacuo ventriculo vescebatur, ac de-  
glutitum retinuit, haec vero sanæ et robustæ ventriculo cibis  
replete eandem et devorarunt, et vomitu reiecerunt. conf.  
cas. 19. Et quis nescit, flāisse, qui araneas, busones, erucas,  
aliate tanquam gratissimum pabulum quæsiverunt, et sine  
noxa assumerunt, quæ in aliis lethales excitare solent effectus.  
Consuetudinem hic etiam multum posse, Turcarum aliorum-  
que Asiaticorum et Africanorum populorum exempla do-  
cent, qui opio paulatim assuefacti non tantum sine derimento  
eo post modum etiam in sat magna dosi utuntur, sed etiam ex

usus eius intermissione in gravissima symptomata et praesentissimum mortis periculum incident. Nec omnibus animalibus aequa funesta existunt venena, sed quae certae speciei salutaria sunt, aliis noxam afferunt. Nux vomica etiam in exigua quantitate canes, feles, vulpes, lupos, et quae coeca in lucem eduntur, gravissimis symptomatibus affligit, et tandem vita privat, ab hominibus vero sine noxa accipitur, immo inter alexipharmacorum resertur. Amygdalae amarae gallinis, anatis, vulpibus, canibus, avibus canariensis veneno sunt, homini nullum damnum accersunt. Cicuta capellae et sturni vescuntur, helleboro coturnices, hyoscyamo et mandragora fues, cantharidibus hirundines, serpentibus cervi, araneis gallinae, bufonibus et serpentibus ciconiae; et crocus metallorum in substantia crassiori assumptus equos ad vomitum non movet, homines ad convulsiones et mortem usque. Haec et similia ambiguum reddunt Medicum, ut certi quid de venenationis crimine pronunciare omnino haereat. Quae difficultates eo magis augmentur, quando videmus subitanas quandoque mortes intrinseca ex causa obtingere hominibus ad sensum sanis, quemadmodum **ALSARIUS** a **CRUCE** loc. alleg. Ego sane, inquit, cum per alia anni tempora, tum praecipue per aestatem et autumnum non paucos me vidisse recordor, qui alias sanissimi, statim a prandio vel coena in acutissimos et lethales morbos inciderunt, cum iisdemque symptomatibus, quae defunctis a veneno contingere solent. Et **ZACCHIAS** Confil. 15. de tonsore, qui apparenter satis sanus, postquam cum amico affluentius pransus erat, post paucos dies in icterum totius corporis tandemque in mortem inciderat, refert, quod sectio eum non a veneno, quod alii exhibitum iudicabant, sed ex interno et naturali morbo per pravam diaetam inducto periisse manifestaverit. Et quot non homines febribus variisque morbis malignis subito corripiuntur, et inter gravissima symptomata, venenis alias communissima intereunt? quod **Galenus** non solum passim docuit, sed quotidiana etiam loquitur

ex-

experiencia. Non pollicem quidem premo JOSEPHO BRO-  
WNE, qui in Tractatu de Peste, Anglice scripto, pag. 34 edis-  
serit, fieri pesse, ut quis ab omni societate remotus et saluberrima  
gaudens aeris constitutione ex humorum pravitate pestem con-  
trahere queat, isdem si patam symptomatisbus, ac si per con-  
tagium fuisset communicata; siquidem pestis, quae singulo-  
rum venenorum qualitates coniunctim possidet, et revera, si  
quis alias morbus, <sup>deinde</sup> continet, nostris in regionibus non  
nisi contagio infertur et propagatur. Certum tamen est, posse  
corruptionem in corpore humano eum acrimoniae gradum,  
eam corrodendi vim acquirere, quae eosdem edat effectus,  
quos venena sifunt corrosiva, eandem sordium vomitu reie-  
ctarum putrilaginem, foetorem haud dissimilem, acerrimam-  
que et pelves aro dentem efficaciam, ut talis cholera tam ter-  
ribilis <sup>zvco noj nato</sup> violentia suum decurrat stadium, ac si exci-  
tata fuisset a veneno nunc demum in corpus ingefto. Sic mor-  
tem subitaneam non veneno sed adversae valetudini, apud IOH.  
ANDR. FISCHERUM Respons. Pract. et Forens. 27. et MICH.  
ALBERTI System. Iurispr. Med. P.I p 274. et Append. cas. 16.  
cholerae morbo, apud Fried. Hoffmannum Consult. Med.  
T. V. Dec. IV. cas. 3 bili corrosivae, apud ALBERTI l.c. P. II.  
cas. 19. insultui Apoplectico, apud HOFFMANNUM l.c. T. V.  
Dec. II, cas. 6. et ALBERTI l.c. App. cas. 15. adscribendam fuisse,  
loquuntur casus. Arduum igitur negotium est, internum tale  
venenum ab externo discernere, qualem quidem differentiam  
explicare sudarunt Authores, sed frustraneo ut plurimum con-  
natu. ZACCHIAS equidem statuit, dari signa utriusque veneno,  
interno et externo communia, dari etiam, quae interno pro-  
pria sint, ex quorum absentia infallibiliter credi posset, potionatum  
esse hominem. Sic apparatus morbosum proximam dicit esse dispositionem ad venenum intus concipendum.  
Verum sit ita, annon caco-hymnia laborans et  
pravorum humorum collectione onustus potum lethi-  
ferum accepisse potuit, ob quem apparatus morbo-  
sum

sunt eo citius gravioribus symptomatibus expositus fuit,  
quo felicius eorum impetum elusisset alius, integro vi-  
riu[m] robore praeditus? Febrem, utpote ab humorum putre-  
dine ortam manifestum putat existere indicium veneni ingeniti.  
Ast febris non semper praeviā supponit putredinem aut  
humores putridos, e.g. quae a gravioribus animi pathemati-  
bus ortū dicit. Et pētis, mōrboru[m] omnium facile vene-  
nosissima, non raro sine febre existit, interim tamen perimit;  
datur etiam virulentia narcotica intrinsecus orta sine febre.  
Imo venena hausta febrem saepius accidunt, quemadmodum  
ex fungorum comedione FORESTUS L. obf. n6 in schol. ab  
epota aqua forti HOCHSTETTERUS Dec. III. obf. 3. ab esu  
bacchariu[m] TAXI M A T T H I O L U S Comm. Dioscor. Lib. VI.  
cap. 12. ab externa arsenici applicatione Hildanus Cent.  
VI. obf. 80. et A M A T U S L U S I T A N U S Cent. II. cu-  
rat. 34. a calce viva deglutita idem Cent. V. curat. 91. fe-  
bres observarunt. Ut taceam, febricitantibus venenum  
etiam exhiberi posse, ut contigit puello apud VALEN-  
TINUM loc. cit. Nec C A R D A N O, Contra dict.  
Med. Tr. V. Lib. II. contrad. 10. concedendum, venena in-  
itus genita nullam concitare sitim, qualis observatur in illis,  
quae ab extra commūnicantur. Contrarium enim docent  
febres pestilentiales, et maxime malignae; et eo ipso dum fe-  
bres comitantur virulentiam internam, non abesse non pōterit,  
inter symptomata febrilia frequentissimum, sitis. Nec cuncta  
venena propinata, e.g. opium excessive sumptum, asseclam  
habent sitim. Multo minus contagium, quod quidam alle-  
gant, veneni ingeniti certitudinem facit, siquidem non omnis  
mōrbus malignus seu virulentus hox contagiosus est, aut sine  
discrimine in quincunque contagium transfert, quia febri-  
bus malignis, imo peste mortuorum cadavera urplurimum  
sine contagii susceptione tractantur et secantur, nullamque  
noxam afferunt, nisi horrōr aliaque accedat. Quodsi vero  
mōrs subitanea contingat tempore contagioso, et ligna con-  
tagii

tagii antecedentis vel praesentis se prodant, Medicus potius  
ad contagium quam aliam causam merito concludit ad imitationem BOHNII de Offic. Med. P. II. c. 6. et ZACCHIAE consil.  
77. ut taceam, nonnulla etiam venena extrinseca, ut canis rabidi et Dryini serpentis, contagiosa observari Quod cadaveris putrefactionem attinet, non necessario subita venenum intrinsecum, tardior extrinsecum evincit; nam quemadmodum intus genitorum, sic propinotorum venenorū diversitas variis effectus, variamque putrefaciendi vim infert; et GALENUS Lib. VI. de Loc. affect cap. 5. inter veneni hausti signa refert, si cadaver mox varium colorem induat, diffluat, aut putredinem molestam oleat; quid? quod ad leporis marini assumptionem etiam corpus vivum singularem graveolentiam putrefacti pescis spiret. Nec perpetuae veritatis est, venenum intrinsecum per periodos et paroxysmos, exhibitum continuo magis impetu affigere; nam virulentiae pestilentialis symptomata sine intermissione ulla et ad mortem usque durant, ac ex philtro iuvenem epilepsia per paroxysmos invadente correptum memini. Fallax etiam est experimentum CARDANI, quo materia vomitu reiecta a gallina, aut iuxta ZACHIAM a cane similiive animali innoxie devorata venenum intrinsecum, illorum laesiones sensibiles extrinsecum putant innuere, quia non quaevi venena cuivis animali exitiosa existere supra dictum; gallinae plurima venena deglutunt sine noxa, et si ab aliorum animalium tabo virulento, e. g. canis rabidi, venenari potest homo, cur non ab humoribus malignis, quos homo vomitu reicit, bruta? siquidem recrementa peste, dysenteria, lue venerea decumbentium contagiosa esse observantur. Cum igitur nulla in refacilius sit in errorem incidere, quam in diiudicandis venenis, Medici prosector prudenter se gerere debent, a quorum iudicio expectant iudices decisionem quaestionum maxime arduarum atque intricatarum circa venenorū effectus. Me hercle, inquit ALSARIUS a CRUCE, l. c. non prudentis est, aut ego toto coelo

aberro, in retanti momenti divinatione uti, nec ad Medicum, qui pro veneni auctore inveniendo consilium praeberet, ulla ratione spectant indicia quaedam infida et a corpore longe separata. Quapropter decet Medicum, venenorum effectus, quos ordinario concitare solent, tam communes quam proprios nosse, i. e. num corrodant, an resolvant et fundant humores, aut violenter constringant, coagulent, aut stupefacent; item, num cerebro, oculis, pulmonibus, vesicæ sint infesta; ut ante omnia constet, num, quod in suspicionem venit, aut venenarius se exhibuisse fatetur, revera tale sit, et sub hoc applicationis modo et quantitate seu dosi illud tantum nocere possit; quales casus vid. apud FRIED. HOFFMANNUM in Medicina Consultatoria Tom. I. Dec. I. cas. 6. 7. et 9. Tom. V. Dec. V. cas. 10. et Tom. VI. Dec. I. cas. 9. Convenit etiam alias circumstantias, e.g. de odio clandestino, veneno emto, parato et invento, confessione propria etc. investigare, quae licet ad Medicum adeo non pertineant, et ab adstantibus suppeditentur, si illitamen ab eodem et quidem urgente necessitate moneantur, occasio ulterius inquirendi illis suppeditatur, et veritas saepius eo facilius in lucem protrahitur. Potiores, fateor, suspiciones venendi sunt, si quis ante sanus et bene valens, nullo in diaeta errore commisso, a re quapiam assumpta brevi tempore de anxietate praecordiorum, ardore, dolore intolerabili, et cruentatu abdominis intenso, vomitu et conatu ad vomendum conqueritur, quibus dein convulsiones superveniunt atque mors, post facta vero corpus lividum, nigricans, tumidum, gula, ventriculus et intestina, vel alia viscera erosa, gangrenosa, vel sphacelata conspicuntur. Haec tamen signa si in probationem venire debent, non seorsim sed coniunctim erunt sumenda; imo sufficit, si non cuncta, pleraque tamen concurrant. Contingit quandoque, ut venenum non mox perimat, sed variis aegritudinibus hominem exponat, ac longiore demum temporis spatio morti tradat. Quo in negotio

tio

tio vix a me impetrare possum, ut cum THEOPHRASTO,  
MARCELLO DONATO, CARDANO, AMATO  
LUSITANO, credam posse ita dirigi veneni dati efficaciam,  
ut vel ex voluntate aut phantasia benefici, vel pro di-  
versitate praeparationis determinato tempore, quoad dies,  
menses, annos exeratur; cum phantasia, tanquam actio im-  
manens, in aliud subiectum operari haud queat, et infinitae  
idiosyncrasiae, temperamenti roborisque vitalis varietates id  
non videantur permittere; non tamen inficior, dari venena  
lenta, sensim sensimque humoribus labem, solidisque parti-  
bus ac fibris atoniam ad stricturas, inferentia, dum doses ve-  
nenorum ita dividi possunt, ut vix centesima pars grani, eaque  
longioribus vel brevioribus intervallis assumatur, unde post  
aliquid tempus, vel aliquot menses vel annos demum lenta  
corporis destructio sequatur, necesse est. Atque tale len-  
tum venenum vix per certa signa nobis innoteſcat, nisi bona  
pravaque corporis habitudo, aut diaeta laudabilis vel minus  
tal is, aut alia quaevis circumstantia aliquem conjecturae lo-  
cum concedant, unde valetudinariam degere vitam teneatur  
homo. Latet enim saepe morbi fomes in intimis corporis  
penetalibus, nullis signis dignoscendus. Non temere au-  
tem confirmandum est in opinione sua superstitionum vulgus,  
quod, si quid sinistri sibi occurrat, eius causam vel ad benefi-  
cium vel ad magiam diabolicam reiicere promte solet. Ad  
beneficium enim non mox recurrentum est, si genus nervo-  
rum affectum spasmoidicas stricturas, motus convulsivos, tre-  
more, deliriū, sudores frigidos, lipothymias, livores unguium  
&c. post se traxerit, cum interna horum symptomatum  
possit esse causa; dolores vagi, articulorum tortura, macu-  
lae per habitum sparsae scorbuti et arthritidis, defluvium ca-  
pillorum, ulcera corpus passim defoedantia luis venereae pos-  
sunt esse soboles. Tandem intumescentia abdominis post  
mortem conspicua per se nihil certi concludit, siquidem talen-  
tiā in cadavere colica biliosa demortui observavit SEGE-

**R**US in Miscell. Nat Cur. Dec I. Ann III. obs. 82. et intumuisse post mortem subitam puellae corpus, ut vultus vix dignosci potuerit, venterque medius di-rumpi crederetur ob impedimentum sanguinis menstrui fluxum refert **RAYGERUS** in iisdem Dec. I. Ann. IV. obs. 6. Optandum foret, ut verum esset, quod refert **PLINIUS** Lib. XI. cap 37. veneno interemtorum cor cremari non posse; certi enim ex hoc phaenomeno de propinato veneno esse possemus. Quanquam enim id probet exemplo Germanici Caesaris, cuius cremati cor inter ossa incorruptum repertum fuisse, etiam **SVETONIUS** in Caligula testatur, et simile quid de **HULDARICO ZWINGLIO**, Tigurinorum sacro antisite, referant Anna- lium recentium Scriptores; quid tamen de utraque fabula statuendum sit, **CONRINGIUS** de calido innat. cap. 14. diserte demonstravit, quamcumque etiam pro Plinio **ZACCHELLA** attulerit apologiam. Sic nec cor cum fibris flaccidissimum certi quid docet; tale enim in Viro subita morte extincto detexit non solum **IOH. IAC. HARDERUS** in Apriario obs. 56. sed et, quoniam inter secundum nulla veneni signa vel vestigia reperire potuit, iram portius animique pathemata mortis causam fuisse, attestatus est. Inspectio interim et sectio cadaveris non parum lucis huic negotio affundit, sub qua Medicus corpus non solum lividum, tumidum, ventriculum et intestina erosa, cor torsum, sanguinem coagulatum conspicit, sed et ipsum venenum assumptum, huiusque reliquias sub textura et compage propria in ventriculo et intestinis indagare conatur. Quale quidem rarius, nisi veneni exhibiti maior moles fuerit, quemadmodum arsenici drachma una in ventriculo reperta in casu apud **V A L E N T I N U M** l. a. cas 22. legitur, locum habere inde constat, quod veneni salini, volatilis, subtilissimique exilissima quantitas, quae necandi tamen vim habet, inter ventriculi et intestinalium liquamina suu contenta conspicit, hincque evolvi vix queat. Sic in Alexandri et Cl-o-patrae corporibus, etiam si veneno periisse constaret, nullum penitus

penitus veneni indicium extitit. vid. PLUTARCHUS in  
vita Alexandri et Antonii. Et Martina veneficiis famosa su-  
bita morte Brundusii extincta, veneno crinium fasciculo oc-  
cultato, nulla in corpore signa sumpti exitii monstravit: vid.  
TACIT. Lib. III Annal. Sed nec sufficit, pulveris cuius-  
dam ramenta in ventriculo reperta esse, nisi haec odore, sapo-  
re, elutione, evaporatione, exficatione aliquis artibus  
examinata et pro veneni particulis agnita fuerint. Quod cor-  
pus delicti repertum, licet certissimum sit veneni propinatio in-  
dicium, nihilominus si tale quid non reperiatur, minime in-  
ferendum venit, non fuisse propinatum. Hocque examen  
tum demum quadrat, ubi venenum haustum est, et praesen-  
taneum extitit, secus ubi exterius admotum et post longiora  
demum intervalla de eodem per effectus tardiores suspicio ori-  
tur; et multo minus in subiectis vivis, insigniter quamvis læ-  
fis. In casibus igitur eiusmodi si Medicus dubius haereat in  
ferenda super potionatione sententia, dedecori id ei non est,  
siquidem docente BOHNIO. I c. cap. 2. habent Me-  
dici cum caeteris peritis prae testibus communibus, ex Le-  
gum, harumque Interpretum v.g. BALDI in prima confit-  
ff. num. 16. MASCARDI conclus. 1069, GAILI, obs. III.  
n. 13. PACIANI cap. 47. n. 25. & STRYCKII indul-  
gentia hoc peculiare, ut non semper de rei veritate, sed cre-  
dulitate seu probabilitate etiam tantum, in causis nempe,  
quaes in sensus minus incurunt, nec alias certo sciri possunt,  
deponant; etiam in eiusmodi casibus, ubi magistratus eorum  
relationem iure iurando confirmari postulant. Neque ullus  
eorum ideo culpari, multo minus convitiis excipi debet, si  
post causus difficilioris recensionem iudicium suum suspendat,  
aut dubie respondeat.

Ad haec commemoranda occasionem praebuit Vir - Ju-  
venis Praeclarissimus nec non Doctissimus, Dominus

M. CA-

M. CASPAR BOSE, Lipsiensis,

*Medicinae Baccalaureus dignissimus;*

qui, testimonium diligentiae et profectuum in Medicina ut extaret publicum, nomen suum Facultati nostrae dedit, Honores artis Doctorales modeste expertens. Honesto huius desiderio, cum egregia ipsius eruditio tum alias, tum in examinibus solennibus nec non in Lectionibus, quas pro Licentia vocant, nobis satis probata fuerit, deesse noluimus. Hinc facultas ei Insignia et Privilegia Doctoralia capefendi proximo die veneris, XXV. scilicet Februarii, ventilata publice DE OBSTETRICUM ERRORIBUS A MEDICO CLINICO PERVESTIGANDIS, Disputatione a me concedetur, cui ad praeviam Facultatis nostrae denominationem a Reverendissimo ac Celsissimo Principe ac Domino, DOMINO MAURITIO WILHELMO, Duce Saxonie, Iuliae, Cliviae, Montium, Angriae et Westphaliae, Postulato Administratore Episcopatus Martisburgensis, Landgratio Thuringiae, Marchione Misniae, et superioris et inferioris Lusariae, Comite Principali Dignitate Hennebergico, Comite de Marca, Ravensberg et Barby, Domino in Ravenstein, Cancellario huius Academiae perpetuo, Domino meo Clementissimo, vices Procancellariatus indulgentissime sunt delegatae. Solennitatem igitur Actui huic publico atque Splendorem ut Magnificus Academiae Rector, Comites Illustrissimi, Utriusque Reipublicae Proceres et Hospites omnium ordinum honoratissimi praesentia sua benevolia adderentur, Collegii nomine etiam arque etiam contendo. P. P. Dominica Sexagesimae

A. M DCC XXIX.

---

LIPSIAE,

ATYPIS BERNHARDI CHRISTOPHORI BREITKOPFI.

Leipzig, Diss., 1729 A-L

ULB Halle  
005 359 244

3





B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta


Red

Yellow

Green

Cyan

Blue



1729, 10.  
26

FACULTATIS MEDICAE  
IN  
ACADEMIA LIPSIENSI  
H. T.  
PRO-CANCELLARIUS  
D. Michael Ernst Ettmüller,  
PROF. PUBL.  
PANEGYRIN MEDICAM  
INDICIT.